

# DEDICATIO.



*Reverenda dignitate, sincera pietate, & multiplici eruditione, eloquentia, prudentiaq; clarissimo & præstantiss. viro*

**Dn. LEONHARDO Elvero J. V. Doctori,**  
Electoris Brandenburgici consiliario eximio, & præposito ad S.  
Johannem in Inclytæ Lünæburga fidelissimo.

NEC NON

*Prudentia, Virtute, & singulari vitæ integritate præstanti viro,*

**Dn. LEONHARDO Lōbing / Patriæ Lünæburgæ viro consulari.**

JUXTA ET

*Ornatissimo, spectatissimo, multarumq; linguarum & Jurisprudentiæ callentissimo viro,*

**Dn. FRANCISCO Witzendorff / Dn. HENRICI,**  
consulis filio, præfidi seu præfecto Salinæ, patri-  
cioq; Lünæburgensi,

*Omnibus Mecænatibus, amicis ac Dominis suis singulariter observandis, S. P. D.*



*Nnus iam decimus quintus est, postquam Analysin Catecheti-  
cam vel Indicem rerum Catechisticarum ex præcipuis autoribus certa quæ-  
dam dispositionis forma collectum, publici juris feci. Quia verò omnia ista  
exemplaria feliciter sunt distracta, & à multis aliis summo desiderio nova  
editio operis hujus expectatur: volui dispositiones illas recognitas, & nonnul-  
lis in locis auctas, denuò Typis committere. Et quàmvis libentissimè multo-  
rum desiderio satisfacere, communiq; utilitati, Ecclesiæ ac Scholarum hac in  
parte consulere volui: non tamen defuerunt hæcenus causæ, quibus impelli  
potui, vel planè hoc labore supersedere, vel maximè cum metu scriptum aliquod edere. Ut enim ve-  
rum fatear, non parum sum veritus, ne antiquum illud (Tenet insanabile multos, scribendi Cacoethes) mihi objici posset. Et sanè reperiuntur quàmplurimi, qui sic insaniunt, ut vel ambitione fasci-  
nati, vel quæstus cupiditate nefaria infecti domi à se cogitata vel consignata publica faciunt. Sed ut  
non omnium ille mos est, ita salva conscientia affirmare possum, me in eorum esse numero, quibus cordi  
& curæ est, sacram Ecclesiæ doctrinam, quocunq; etiam modo id fieri possit, ad posteros propagare. Id  
verò ipsum quòvis sanus reprehendat, præsertim in hoc Catechistico, id est, sacro scriptionis genere?  
Est enim Catechismi doctrina ejusmodi, ut juvenuti satis inculcari: & pro dignitate ac ubertate ex-  
plicari non possit: Superbos profectò altitudine irridet, profunditate attentos terret, virtute ma-*